





P. 39. num. 17. a

1773, 32

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN

IVRA VRBIVM STATVTA-  
RIA OBLIGENT INCOLAS  
MVNICIPII

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISVVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XXVIII. APRIL. ANNO MDCCCLXXIII.

DEFENDET

IOANNES CHRISTIANVS STEINBRÜCK

MARTISVVRG.

LIPSIAE  
LITERIS RVMFFIIS.

KÖNIGLICH  
UNIVERS.  
ZVHALLE

STATUTUM  
MUNICIPALITATIS  
CIVITATIS  
MUNICIPALITATIS  
CIVITATIS

ORDINIS  
CIVITATIS  
CIVITATIS  
CIVITATIS  
CIVITATIS

JOHANNES CHRISTIANUS STEINER





AN  
IVRA IVRIVM STATVTARIA  
OBLIGENT INCOLAS MVNICIPII.

---

§. I.

**R**omanis licuisse, vt, qui membra societatis et collegii liciteffent, sibi iura statuerent, dummodo legibus ciuitatis non aduersa, patet ex  
LL. DECEM VIR: *Tab. VIII. cap. II.* SODALES LEGEM QVAM VOLENT, DVM NE QVID EX PVBLICA CORRVMPANT, SIBI FERVNT. Sed an ex hoc iure mos inualuerit apud populares nostros, vt municipia sibi *statuta* conderent, ego quidem non approbem. Videntur enim vrbium Germaniae Jura statutoria iis temporibus oriunda, quibus Decemviralis illius legis nec notio, nec obligatio existeret. Non inquiram in origines statutorum vrbium germanicarum, satis egregie hanc materiam exhibuit inter alios **RICCIVS** in *Delineat. statutor.* Primariam forsitan causam deprehendimus in studio consuetudines in scripturam redigendi, ad quod industria **ECCONIS** de **REPKAV** in *Speculo Saxonico* rerum, quae ad ius pertinebant, studiosos excitauit. Nam quae prima sunt statuta, siue ipsius Magdeburgici Scabinatus, siue vrbium, nihil continere videntur, quam ea, quae antea vsu inualuerant. Posterior aetas alia adiecit, et haud raro vel nouorum statutorum con-

dendorum, vel antiquiorum relegendorum occasionem praebuit ius Romanum in foris germaniae in subsidium receptum, saluis moribus patriis, quos vero mores dein per statuta definiuere. Neque negandum est, interdum etiam noua, pro vt rerum immutatarum necessitas videbatur, iis introducta et comprobata esse.

§. II.

Quemcunque vero etiam originem ipsa statuta habeant, species, quae dubia videbatur, quaeque coram iudicio agitur, occasionem quaestioni dedit: vtrum iura statutaria tantum municipes obligent, atque in illorum litibus normam iudicandi faciant, an vero etiam incolae eiusdem municipii, qui tantum securitate fruuntur, neuiquam vero inter municipes referendi, iisdem statutariis iuribus iudicentur. Species facti haec erat: Excludebatur in successione Geradica proxima cognata per maritum, quem statutum ad successionem Geradicarum rerum vocabat. Mortua Caia, cuius maritus incola erat illius municipii, de cuius statutaria successione mariti in Gerada antea referebamus, praeter mobiliarem hereditatem, simul res Geradicas suae coniugis ceperat. Titia defunctae soror a marito postulabat, vt Geradica bona ipsi restitueret, quippe ad se haec successio pertineret. Maritus, qui se a petitis his defendebat, prouocabat ad statutariam successionem. Negabat femina, eidem competere successionem ex statuto, quod solum incola municipii esset, neuiquam municeps. Iam videamus, an ad maritum pertineat Gerada, an proximae defunctae vxoris cognatae restituenda.

§. III.

Si ad statuta ipsa respicimus, quae qualiaue continent, facile patet duplicia esse capita, quaedam ad causas iustitiae sese referunt, quaedam ac causas Politiae. Quod  
ad

ad Politiae capita attinet, distinguendum videtur, an de certis tantum personis agant, utpote de lanionibus, de pistoribus, de cereuisiarum braxatione, deque aliis, an vero ea constituent, quae ad commune municipii decorum, securitatem, utilitatem et ordinem respiciant. Facile patet ex hac distinctione, ea quae certo incolarum seu municipiorum generi scripta sunt, non posse omnes municipes obligare. Quis enim ex pistorum ordinationibus, futurorum ligniue sectorum obligationes diiudicaret. Contra, si quae generaliter posita sunt, cum non municipes tantum, verum quoque incolae ad commune bonum et utile pro viribus promouendum sint obligati, dubitandum non est, quin omnes adeo incolae ad ea statutorum capita obligentur. Sic si generaliter quaedam posita in statutis de epulis nundinarum, vel baptismalibus: an putemus, incolas posse peccare impune contra ordinem bonum in municipio praescriptum statuto, cum municipes stricte ad ordinem seruandum tenerentur. Cedo, si statutum distinguit municipes ab incolis, illisque tantum ordinem fert tunc ad praescripta non teneri incolas, certum est. Sic in **STATVT. GORLICIENS.** *Cap. XI.* prohibetur in genere das doppeln und Spielen. et cap. XII. der Müßiggang. Quis ex his capitibus immunes pronunciarer incolas? Verba: daß in einer jeden Stadt der Müßiggang schäd. ic. fatis docent, non certum genus inhabitantium subintelligi posse, sed omnes siue sint municipes, siue sint incolae tantum, imo, si tantum temporarii sint, eo statuto teneri.

§ IV.

Quod vero ad iustitiae capita attinet, an, quae in municipio normae scriptae sint, etiam incolas, obligent, aequè dubium videri potest. Si enim statuta tanquam conuentiones obligent consentientes, seu, qui eam paciscentium societatem constituunt, consequi posse videmur, incolas

ad iura statutaria tanquam municipii non socios haud obligari. Neque negari potest, in pluribus statutis civium tantum seu municipum mentionem fieri, sub qua compellatione incolae haud intelligi possunt. Dein cum ea, quae statutis sancita singularia iura constituent, quae strictiorem admittunt interpretationem, dubitare nemo posse videtur, commode ad incolas ea extendi non posse, maxime, cum in utilitatem tantum municipum videntur esse composita. Sed quidquid sit, ex his dubitandi causis non omnino huic argumento calculum adderem.

§ V.

Si in ipsis statutis simul incolarum et municipum mentio fit, minus dubii adesse videtur, et causas civium et incolarum pariter ex statuto decidi debere. Exemplum apparet ex STATVT. ZITTAVIENSI in *Proem. verb.* Ordnen segen und wollen, daß allesammt und jede besonders von Uns, unsern Bürgern und Einwohnern in bemeldeter unser Stadt und Gerichts Zwang begriffen, bey den Poenen, so darauf gesetzt, gehalten werden sollen. Neque vero, licet incolarum mentio facta non sit, alio iure, quam statuario, iudicari poterunt incolae. Quamquam enim per conventionem a civibus sancita esse videantur statuta, tamen ex solo illo conventionis iure non obligant, sed confirmatione principis ordinatio iudici data est, secundum quam in suo tribunali causas decidere debet. Iam vero ad ipsius tribunal non tantum ii tenentur, qui principes sunt, verum et qui sub eius ditione habent domicilium, quod de incolis recte affirmari potest: hinc nulla esset causa, cur statuto non obligentur, nec ex eo iudicentur.

§ VI.

Neque efficere quidquam potest, quod incolae haud consenserint in statuta confecta. Consentiunt sane facta, si domicilium in municipio constituunt, imo consentiunt, dum



dum securitatem defensionemque a municipio sibi quaerunt: et amplius consentiunt, quum obedientiam et obsequium magistratui promittunt, cum inter incolas recipiuntur. Dein in singularibus illis iuribus, municipibus prae aliis concessis, recte quidem non intelliguntur, propterea tamen negari nequit, sub voce Bürger non municipem tantum intelligi, sed omnem hominem ciuicae conditionis ex opposito ordine nobilium, et rusticorum: Cum vero omnes, qui in vrbe aliqua habitant Bürger dici possint, non quasi sint municipes, sed quo ciuici ordinis, et ad burgerorum iura admitti possint, adfirmari poterit, ex statutis, quatenus tractant iustitiae capita, omnino iudicandos esse incolas, et vox Bürger opposita videtur den Fremden, qui in eo municipio vel ad breue tantum tempus commorantur, vel in seo domicilium haud habent, vel priuilegiato et proprio quasi iure vtuntur. Neque metuendum erit, extendi iura, quae restringenda viderentur. Tunc extenderentur, si in causis extraneorum applicarentur, non in causis eorum, qui ei tribunali, cui statuta confirmata sunt, adscripti, quod de incolis recte adfirmatur.

§. VII.

Et quamquam non fruuntur beneficiis municipum, et nonnulli eruditorum putent, statuta in fauorem municipum confecta esse; tamen alia sunt municipum beneficia in statutis, alia sunt iura municipio scripra. Neque causa est, cur iuribus municipii non iudicentur, quia municipum haud fruuntur beneficiis. Praeterea quis dicat, illa, quae de iuris capitibus in statutis congesta sunt, esse municipibus tanquam beneficia data. Contrarium patet ex pluribus statutis: ea, quae de iure sancita, plerumque ad lites euitandas et ordinis certi causa, vt quiuis sciat, quo iure vti debeat, conscripta esse statuta, imo, vt iudices secundum ea, quae antea consuetudinis erant, iudicare deberent. Concludo ergo ex his

his causis, et maxime, quod ea statuta, quae de iure agunt, iudiciorum municipalium ordinationes esse videntur, omnes, qui municipali iurisdictioni subsunt, aut sint municipes, aut incolae, statuto tamen iudicari: et licet interdum in municipiis incolae deprehendantur, quae immunitate a consueto onere des *Schutzgelde* ex privilegio vel singulari beneficio fruuntur, vt milites honeste vel causarie dimissi, tamen ob ea onera non soluta alio iure, quam statuario iudicari haud poterunt, quippe beneficium singulare iis non praestat exemptionem fori et ordinis iudiciarii.

§. VIII.

Nihilominus tamen possunt adesse exceptiones. Vel enim statuti cuiusdam verba tam clara sunt, vt ad incolas applicari nequeant, quum de solis municipibus quaedam fanciant, tunc in his causis ex statuto incolarum causae non iudicabuntur. Dein interdum ipsa statuta in vno alteroque capite distinguunt municipes ab incolis, quale quid deprehendi *STATVTO GORLICIENS. cap. XXXIV Von der Hülfe*. Distinguit enim hoc caput municipes et incolas in praescribendo iure, ex quo contra eos, qui aere alieno oppressi, procedendum sit. Tandem si probari poterit ex longa temporis consuetudine, incolas ex statuario iure iudicatos non esse, tunc secundum hanc consuetudinem iure statuario amplius haud fruuntur.

§. IX.

Ergo si ad speciem supra propositam respicimus, neque vna ex his exceptionibus obstat, sed quid in genere sentiendum sit, dici debet, puto, secundum ea, quae proposita sunt, defunctae vxoris sororem Geradam a marito vindicare haud posse ex causa, quod incola sit, nisi probet, vel incolam non esse, vel singularem adesse exceptionis causam, quae tamen nunquam erit in dubio praesumenda.

---

ULB Halle  
004 758 501


3



*56*







P. 39. num. 17. a

1773, 32

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN  
IVRA VRBIVM STATVTA-  
RIA OBLIGENT INCOLAS  
MVNICIPII

9-123

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE  
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING  
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITER. DVISVURG.  
SOCIO  
IN AVDITORIO PETRINO  
DIE XXVIII. APRIL. ANNO CIOICCLXXIII.  
DEFENDET  
IOANNES CHRISTIANVS STEINBRÜCK  
MARTISVURG.

LIPSAE  
LITERIS RVMPFIIS.

